

§ XII.

DE CONCORDATIONE JURIORUM, ET OBSERVANDIS CIRCA MANIFESTAM EORUM CONTRARIETATEM.

201. *Jura jurius, quantum fieri potest, sunt concordanda.* — Quæritur I. An, et qualiter jura inter se sint concordanda? Resp. I. Generatim loquendo jura jurius, quantum fieri potest, sunt concordanda, neque eorum correctio est asserenda sine necessitate. Ita communis; et habetur expressum in c. *Cum expediat*, 29. de *Election.*, in 6. ibi: « Cum expediat concordare jura jurius, et eorum correctiones, si sustineri valeant, evitari. » Concord. text. in l. un. de *Inofficios. dotib.* ibi: « Leges legibus concordare promptum est, » cum similibus. Et hinc l. *Non est novum*, 25, et seq. ff. de *Legib. generaliter* sancitur, ad evitandam jurium correctionem, leges priores esse trahendas, et explicandas per posteriores, et econtra has per priores, illis verbis: « Non est novum ut priores leges ad posteriores trahantur, etc. Sed et posteriores leges ad priores pertinent, nisi contrariæ sint. »

202. *Correctio jurium est odiosa.* — Accedit ratio, quia correctio jurium est odiosa; cum enim omnis lex debeat esse honesta, justa, et constituta pro communi utilitate, can. *Erit autem lex*, dist. 4, hoc ipso magnus ipsius legis, sive juris communis, favor esse dignoscitur; adeoque correctio, et abrogatio ipsius censetur odiosa, neque asserenda sine necessitate. Deinde credendum non est supremum principem, sive Romanum Pontificem (qui jura præ cæteris tuetur) quod alias excogitatum est multis vigilis et inventum, uno verbo, et quidem etiamnum dubio (nam secus dicendum in claris) commodamque recipientem interpretationem, subvertere voluisse, ut notatur in c. *Ecclesia vestra*, 57. de *Election.* Quin imo ad correctionem jurium antiquorum requiri, ut quid in posteriori lege specialiter expressum inveniatur, patet ex c. *Constitutio*, 41, juncta Glossa, vers. in *casu, de Elect.* in 6, et amplius ex l. *Præcipimus*, § fin. C. de *Appellat.* Unde ulterius.

203. *Apparens jurium contrarietas est concilianda.* — Resp. II. Quodcumque sive in eadem unius Pontificis compilatione, v. g. in libris *Decretalium* Gregorii IX, sive inter diversas juris canonici partes, ut puta inter memoratas Decretales et Clementinas, appareat nonnulla contrarietas, quæ tamen non

est prorsus manifesta, sed, re penitus inspecta, commodam admittit interpretationem et conciliationem, salva verborum proprietate et ratione recti sermonis, faciendam; tunc semper per congruam interpretationem ejusmodi loca juris inter se sunt concilianda. Hæc conclusio est communis, ac sequitur ex proxime dictis: quia nempe jurium correctio, veluti odiosa, non est asserenda absque necessitate: talis autem necessitas non intervenit, quoties locum habere potest conciliatio jurium per commodam verborum interpretationem.

204. *Salva tamen verborum proprietate.* — Additur tamen, « Salva verborum proprietate et ratione recti sermonis, faciendam. » Nam absque necessitate a propria verborum significatione non est recedendum; arg. c. *Ad audientiam*, 12, et ibi Abbas, de *Decimis*; juncto cap. ult. de *Verb. signif.* cum similibus. « Nam, cum in verbis nulla est ambiguitas, non debet admitti voluntatis quæstio. » l. *Ille aut ille*, ff. de *Legatis* III. Neque enim oportet in scirpo nodum quærere: quinimo etiam « in re dubia melius est verbis edicti servire, » ut habetur l. I. § *Si is qui navem*, ff. de *Exercitator. action.* Secus foret, quando aliunde apparet de mente legislatoris, sive scribentis, ut puta ex ratione per legem expressa: nam tunc standum est menti, etiam contra proprium significatum verborum, arg. l. *Cum pater*, § *Dulcissimis*, ff. de *Legatis* II. Ubi verba restringuntur propter rationem expressam: siquidem « verba intentioni deserviunt, » et non econtra, c. *Secundo requiris*, 41, de *Appellat.*, et c. *Intelligentiæ*, 6. de *Verb. signif.*

205. *In eadem compilatione non est admitenda contrarietas.* — Quæritur II. Quid agendum, quando inter diversas juris canonici partes, vel inter jus antiquum et concilium Tridentinum, reperitur quædam manifesta contrarietas, quæ congrua interpretatione concordari nequit? Resp. I. In una eademque compilatione, ut puta in quinque libris *Decretalium* Gregorii IX, vel in sexto *Decretalium* Bonifacii VIII, ejusmodi contrarietas admitti nequit; nisi posterior canon expresse derogat priori. Ita communis. Ratio est, quia tales compilationes emanarunt « reseccatis superfluis, » illisque *Decretalibus* correctis, aut detractis, quæ « aut sibi ipsis, vel aliis jurius contrariæ, seu omnino superflue videbantur, » prout testatur tum Gregorius IX, tum Bonifacius VIII, in proœmio

suarum compilationum: ergo hoc ipso in tali compilatione nullum debet contrarium reperiri, vel admitti.

206. *Sicut nec in codice Justiniano.* — Concordat textus in l. *Tanta*, § *Contrarium*. C. de *Veteri jure enucleand.*, ubi hoc ipsum de Codice Justiniano emendato dicitur, ibi: « Contrarium autem aliquid in hoc Codice positum, nullum sibi locum vindicabit; nec invenitur, si quis subtili animo diversitatis rationes exculiat. » Utrum autem idecirco nullæ prorsus dentur antinomix juris civilis, sive repugnantia responsa, videatur Covarruvias, lib. I. *Var. resolut.* c. 3, n. 7, cum aliis.

207. *Nisi posterior canon expresse derogat priori.* — Additur notanter num. 205: « Nisi posterior canon expresse derogat priori. » Nam tunc necessario est asserenda inter eos aliqua contrarietas, atque correctio prioris: prout accidit in c. *Exigit*, 2. de *Censibus*, in 6, et in c. *Felicis* 3, eod. in 6, ubi posterius capitulum expresse derogat priori, istudque quoad certa puncta revocat.

208. *Lex abrogata non superfluit in jure.* — Dices: Si prius illud capitulum revocatur per posterius; ergo hoc ipso censetur superfluum; ut quid igitur membranam occupat? Resp. neg. seq. Tum quia prius capitulum non penitus abrogatur, sed ipsi derogatur solum ex parte, sicque quoad alia puncta adhuc subsistit, et valet; tum quia lex abrogata, quamvis non amplius possit allegari in judiciis ad decisionem causarum; imo eam sic allegans incurrat pœnam falsi, arg. l. un. § *Hunc igitur*. C. de *Justinian. Codic. confirmand.*, ac notat glossa in l. un. § *Nullo*, C. *Ad legem Cornel. de falsis*; nihilominus ipsa aliis de causis adhuc utiliter refertur. Primo quidem, ut posteri noverint facta priora, can. *Fuerunt*, dist. 7. Sciantque ea quæ male gesta sunt, reprobare, arg. can. *Qui de mensa*, dist. 37. Deinde, ut ostendatur de ejus errore, atque incompetentiâ, ne successores legislatores incidant in illud ipsum incommodum, propter quod prior lex fuit abrogata, can. *Leginus*, dist. 37.

209. *An, et quando lex abrogata possit allegari?* — Accedit, quod lex abrogata possit allegari, etiam ad decisionem causarum, saltem in illis locis, ubi lex nova abrogans priorem, non fuit usu recepta, aut quando ipsa quoquo modo existit invalida, arg. c. *Cum omnes*, 6, de *Constitut.* ibi: « Secundum priorem consuetudinem, » cum similibus. Item potest ipsa allegari ad decisionem ca-

sus præteriti, et jam facti ante abrogationem legis, dummodo in lege nova non fiat expressa dispositio de præteritis, cap. ult. de *Constit.* et l. *Leges et constitutiones*. C. de *Legibus*. Rursus lex abrogata potest allegari ad ostendendum mentem prioris legislatoris, qui tulit ipsam; prout pontifex in c. *Novit*, juncta glossa, § *Quicumque*, de *Judiciis*, allegat abrogatam (quæ refertur in can. *Quicumque*, 11. q. 1, ac notat glossa ibidem) non ut ipsam confirmet, sed ut per eam ostendat, quantam devotionem habuerint priores imperatores ad sacerdotium.

210. *Præsertim ob sui rationem?* — Ulterius lex abrogata potest allegari propter sui rationem. Hæc enim duo sunt diversa, et sicut se habet anima ad corpus, ita se habet ratio ad legem; ac proinde lege etiam abrogata adhuc subsistit ratio legis, arg. l. *Eas obligationes*, ff. de *Capitis diminut.*, nisi etiam ratio ipsa fuisset sublata. Felinus in c. *Canonum statuta*, n. 19, de *Constit.*; Petrus Andr. Gammarius, tom. XVIII. *Tractat. tract. de Extensionib.* n. 150. citans insuper Ant. de Butrio, et Imolam, c. I. de *Constit.* Jo. Andream, Dominicum, et communem. Siquidem ratio legis, innixa tamen æquitati naturali, est æterna et immutabilis: unde sicut ratio, quæ nunquam in aliqua lege fuit scripta potest allegari, ita etiam illa, quæ semel a jure fuit approbata, dummodo expresse non reprobetur, veluti non innitens æquitati naturali, quam tamen prior legislator eidem opinabatur inesse. Concordat Abbas in c. *Novi*, num. 23. de *Judiciis*, ubi ex eo, quod lex abrogata possit adhuc allegari propter sui rationem, approbat factum pontificis ibidem allegantis legem jam abrogatam.

211. *Ubi est manifesta jurium contrarietas, standum est posteriori decisioni.* — Resp. II. Quando inter diversas juris canonici partes, vel inter jus antiquum et concilium Tridentinum, reperitur aliqua manifesta contrarietas, non admittens congruam conciliationem, tunc est standum posteriori decisioni, sive constitutioni. Ita certa, et unanimis doctorum. Siquidem lex posterior principis revocat priorem sibi directe contrariam, eique derogat, quatenus ipsi contraria existit, etiam nulla facta mentione prioris, prout clarissime habetur c. *Licet Romanus*, de *Constit.* in 6. ibi: « Romanus pontifex (quia jura omnia in scrinio pectoris sui censetur habere) constitutionem condendo posterio-rem, priorem, quamvis de ipsa mentionem

non faciat, revocare noscitur, » Concordat jus civile l. *Sed et posteriores*, ff. *de Leg.* ibi: « Sed et posteriores leges ad priores pertinent, nisi contrariæ sint. » Hinc pariter in testamentis statur ultimo, etiamsi in ipso non fiat mentio de priori. l. *Si mihi et tibi*, ff. *de Legatis* 1. et can. *Ultima voluntas*, 13. q. 1, ubi dicitur, quod voluntas ultima defuncti (qualis nec est, nisi posterius testamentum) modis omnibus conservari debet.

212. *Lex posterior revocat priorem directe contrariam, etiam non facta ejus mentione.* — Accedit ratio, quia principi supremo competit potestas condendi ad communem reipublicæ utilitatem novas leges, sive constitutiones, l. 1. ff. *de Constit. principum*, cum similibus; ergo, si vult, potest pro bono communi novam condere, et priorem revocare: cum hoc totum pendeat ex voluntate unius tantum (notanter hoc additur, quia oppositum accidit in illis, quæ pendent ex voluntate plurium. v. g. in contractibus, ad quorum valorem requiritur plurium in idem placitum, et consensus, l. 1. ff. *de Pactis*, videlicet ex voluntate solius principis, in quem vel populus omne suum imperium ac potestatem lege regia transtulit, vel immediate a Deo eadem potestas collata fuit, quorum prius in imperatoribus, posterius in summo pontifice verificatur. Atqui princeps condendo novam legem, sive constitutionem priori directe contrariam, ipso facto censetur priorem revocare: quamvis nullam de ipsa faciat mentionem: tum quod habeat omnia jura communia in scrinio pectoris sui, sicque priorem legem præsumatur non ignorare, tum quod utramque legem, utpote directe contrariam, simul velle, atque observari curare non possit.

213. *Papa, sicut et imperator, censetur omnia jura in scrinio pectoris sui habere.* — Porro dictum illud in cit. c. *Licet Romanus*, merittissime pronuntiatum, videlicet, « Romanus pontifex jura omnia in scrinio pectoris sui censetur habere, » ab hæreticis quidem ludibrii causa quandoque adversus papam, Christi in terris vicarium objicitur: sed quam inscite et frustra, vel ex eo liquet, quod dudum ante jam imperatores ad ipsum sibi vendicaverint, l. *Omnium*. C. *de Testament.* de se pronuntiantes: « Toto jure, quod in nostris est scriniis constitutum, teste. »

214. *In quo sensu istud dictum procedat?* — Dicitur autem princeps habere omnia jura in scrinio pectoris sui (hoc est, eorum om-

nium tenere notitiam) tum propter sapientes, et consiliarios sibi assistentes, atque consistorio suo interessentes: « nam et ipsi pars corporis ejus sunt, » ut dicitur l. *Quisquis*. C. *Ad legem Juliam majest.* et can. *Si quis cum militibus*, 6. q. 1, ubi idcirco machinans in mortem talium personarum, censetur reus criminis læsæ majestatis. Glossa cap. I. in casu *de Constitut.*, in 6; tum propter interpretationem, quia nimirum princeps omnia jura interpretari potest; prout explicat Glossa in can. *Præterea*, §. *Fallat*. dist. 32. Siquidem ejus est legem interpretari, cujus est condere, l. ult. C. *de Legibus*, et c. *Inter alia*. 31, *de Sent. excommunic.*

215. *In quo sensu istud dictum procedat?* — Accedit, quod ipsemet princeps juris et justitiæ subditis administrandæ gnarus esse debeat, cum isthæc cura eidem principaliter incumbat, eo quod ad hoc persona ipsius proxime a Deo prælecta fuerit. Unde, licet rectissime utatur consiliatorum suorum scientia et prudentia, juxta illud *Proverb.* cap. XIII, 10, *Qui agunt omnia cum consilio, reguntur sapientia.* Et *Proverb.* cap. XXIV, 6, *Salus, ubi multa consilia sunt.* Nihilominus princeps non omnem, vel ferme omnem in consiliarios administrationem conjiciat, sed ipsemet cum Salomone, III *Regum*. cap. III, 9, a Domino petat, et obtinere satagat *docile, ut populum judicare possit, atque discernere inter bonum et malum.* Et hoc vel maxime ex eo; tum quia inter ipsos consiliarios contingit quandoque reperiri nonnullos vel debita scientia vel recte agendi voluntate destitutos, propriisque potius aut privatis commodis quam bono publico et justitiæ studentes, quorum malitia et inscitia errores facilius accidunt, nisi principis sapientia præcaveantur; tum ut inter diversa consultorum suffragia ipsemet princeps discernere atque eligere valeat quod bonum rei que publicæ magis expediens erit. Alioquin si error juris accidat, princeps nequam ex tali errore vel ignorantia juris communis excusabitur, cujus scientiam specialiter se habere profitetur; simulque generaliter ignorantia juris non excusat, juxta Reg. 13 juris, in 6, cum concordantiis. Layman cap. I, num. 2, *de Constit.*, in 6.

216. *Solvitur instantia ex c. Præterea* dist. 23, *Ubi pontifex sibi metuit de oblivione.* — Nec obstat prædicto pontificio effato can. *Præterea*, dist. 23, ubi Nicolaus papa archiepiscopo Bituricensi sic scribit: « Sed

et quia a novæ legis ministris actum, nusquam (nisi nos fallat oblivio) legimus: » et consequenter videtur inferri posse, quod papa non omnia jura habeat in scrinio pectoris sui, utpote sibi metuens de oblivione. Resp. enim, neg. seq. Nam ibi sermo est, non de ignorantia seu oblivione juris, qualis in supremo principe admitti nequit, sed de oblivione exemplorum; ut notat glossa marginalis ibidem, et patet ex illis verbis, « a novæ legis ministris actum. » Exempla autem sunt quid facti: ea vero, quæ sunt facti, et in facto consistunt, potest probabiliter pontifex ignorare, cit. cap. I. *de Const.*, in 6.

217. *Quid sit observandum circa manifestas contrarietates juris canonici, et civilis?* et n. seqq. — Queritur III. Quid sit observandum circa manifestas contrarietates juris canonici et civilis? Resp. Quando talis manifesta contrarietas est inter jus canonicum et civile, tunc attendenda est ratio materiæ. Et quidem, si ejusmodi contrarietas versetur circa materiam conscientiæ, periculumque peccati, aut circa res ecclesiasticas et spirituales; tunc tenendum est jus canonicum in utroque foro, atque etiam in terris imperii: si vero dicta manifesta contrarietas versetur circa materiam mere profanam, nullumque peccati periculum involvat, tunc quodlibet jus in suo foro servandum est; videlicet canonicum in foro ecclesiastico, et terris summo Pontifici, quoad temporalem jurisdictionem, subjectis et jus civile in terris imperii secularis. Ita Glossa magistralis in c. *Possessor*. §. *Sed utrum. de Reg. juris*, in 6; Abbas c. *Licet*, num. 10, *de foro compet.*; Felinus c. *In Causis*, n. 1, *de Testibus*; post Baldum, Imolam, et Anchoranum, Fagnanus c. *Cum esses*, n. 98, *de Testament.* citans insuper Jo. Andream, cap. II, *de Reg. juris*, in 6; Layman, lib. I, *Theolog. moral.* tract. IV, cap. VIII; n. 8, Bernardus Sannig, Prolog. in *Universum jus canonicum*, tit. 8, cap. II; Ludovic. Engel, in proœmio *Collegii juris canon.*, n. 18, et alii passim.

218. *Nec imperator jura pontificatus arripere debet, nec papa usurpare jura imperatoria.* — Desumitur hoc totum imprimis ex can. *Quoniam*. dist. 10, et can. *Cum ad verum.*, dist. 96, ubi habetur, quod nec imperator jura pontificatus arripere, nec pontifex nomen vel jura imperatoria usurpare debeat: quoniam idem Mediator DEI et hominum, Homo Christus JESUS actibus propriis, et

dignitatibus, distinctis, officia potestatis utriusque discrevit. Concordat c. *Solita*, §. *de Majorit. et obed.*, ubi legitur quod Deus in firmamento cœli, hoc est, universalis Ecclesiæ, fecerit duo magna luminaria, id est, duas instituerit dignitates, nempe pontificalem auctoritatem, ut præset diebus, sive spiritualibus, et regalem potestatem, ut præset noctibus, sive temporalibus et carnalibus. Hinc Papa in c. *Novit*. 13, § 1, *de Judiciis*, nequaquam intendit jurisdictionem regis perturbare aut minuere, cum Rex vicissim jurisdictionem pontificiam nec velit, nec debeat impedire. Concordat textus in c. *Per venerabilem*. 13, § *Rationibus*. *Qui filii sint legit.* ubi Romanus pontifex super Ecclesiæ patrimonio plenam in temporalibus gerere potestatem, in aliis autem regionibus, certis de causis, temporalem jurisdictionem casualiter dumtaxat exercere, non autem alieno juri præjudicare velle perhibetur. Proinde.

219. *Ubi versatur periculum animarum, jus canonicum in omni foro, ac etiam in terris imperii est observandum.* — Inferitur primo, quod in materia conscientiæ, seu ubi versatur periculum animarum, v. g. in præscriptione cum mala fide, in usuris, et hujusmodi materiis peccatum foventibus, dum jus canonicum contrariatur civili, leges succumbant canonibus, ita ut secundum jus canonicum in omni foro, atque etiam in terris imperii judicandum sit. Siquidem tunc leges civiles, ceu foventes peccatum, censentur esse correctæ per canones: lex autem correctæ, non dicitur amplius *lex*. Glossa in l. ult. ff. *Ad legem Cornel. de falsis*. Fagnanus c. *Cum esses*. n. 167, *de Testament.*

220. *Idem dicitur de juramentis, contractu matrimoniali, aliisque rebus spiritualibus pœnisque ecclesiasticis.* — Inferitur secundo, quod etiam in juramentis, contractu matrimoniali, et aliis rebus spiritualibus nec non delictis ecclesiasticam castigationem promerentibus, jus canonicum in omni foro sit observandum: idque per textus hactenus allegatos, ac præsertim cit. c. *Novit*. § *Licet autem. de Judic.* ubi dicitur, quod pontifex « procedere valeat super quolibet crimine peccato, ut peccatorem revocet a vitio ad virtutem, ab errore ad veritatem. » Et additur, « quod de juramenti religione cognoscere, ad judicium Ecclesiæ non est dubium pertinere. » Quinimo etiam ex præscripto legum civilium istud obtinet: siquidem *Aut.*

ut clerici apud proprios episcopos, etc. § Si vero ecclesiasticum, collat. 6, imperator expresse hoc sancivit, illis verbis: «Cum oporteat talia ecclesiastice examinari, et emendari animas delinquentium per ecclesiasticam mulctam, secundum sacras et divinas regulas, quas etiam nostræ sequi non dedignantur leges.» Quinimo generaliter loquendo, sicubi jus civile de rebus ad ecclesias, personas ecclesiasticas, earumque bona pertinentibus disponat, ex se ipso, ac nisi ab Ecclesia quoad talia fuerit approbatum, nullam habet vim obligandi, c. *Quæ in ecclesiarum*. 7. et c. *Ecclesia sanctæ Mariæ*, 10, de *Constit.* cum concordantiis: et consequenter quoad talia jus canonicum in omni foro erit observandum.

221. *Item de causis miserabilium personarum.* — Et hoc extenditur ad causas miserabilium personarum: nam data contrarietate juris civilis et canonici, in causis miserabilium personarum servatur jus canonicum in utroque foro. Felinus in c. *In causis*, n. 1, *Testib.*; Maranta, part. III. *Speculi aurei*, num. 76; Fagnanus in c. *Licet*, n. 27, de *Censib.* citatis insuper pro hoc Anton. de Butrio, et Jo. de Imola in c. *Clerici de Judiciis*. Etenim miserabilium personarum defensio specialiter ad Ecclesiam spectare dignoscitur, c. *Ex parte*. 15. de *Foro compet.*

222. *E de casibus, in quibus agitur de naturali æquitate, vel vitando iniquo rigore.* — Item dicendum de illis casibus, in quibus agitur de naturali æquitate, aut vitando iniquo rigore: prævalet enim jus canonicum etiam in terris imperii, arg. c. *Licet*. 4. de *Censib.*, ubi idcirco cæcus non permittitur compelli ad præstandas collectas; «Quia eum (inquit pontifex) quem cæcitas sua gravat, inhumanum est nimis in collectione affligere.» Fagnanus, loc. cit. n. 6, post Joan. de Anania; Felinus, loc. cit., pro hoc insuper allegans c. *Dilecti*. 6. de *Judiciis*. et cap. I. de *Dolo et contum.* Sicut et econtra, ubi jus civile statueret æquitatem, jus canonicum rigorem, servatur jus civile etiam in foro ecclesiastico. Felinus, et Maranta, ubi supra. Et merito: nam æquitas scripta rigori scripto præfertur, l. *Placuit*. C. de *Judiciis*, juncto c. *Abbate*. 3. § fin. de *Sent. et re judic.*, in 6.

223. *Quid observandum in contractibus, feudis, testamentis, processu judiciario, ac hujusmodi, quando jus canonicum contrariatur civili?* — Infertur tertio, quod in contractibus, feudis, testamentorum solemnitatibus, judi-

ciis, ipsoque processu judiciario, aliisque hujusmodi materiis mere profanis, et periculum peccati non continentibus, quodlibet jus in suo foro sit servandum; civile quidem in terris imperii, canonicum in terris Ecclesiæ. Nam quoad mere temporalia, et nullum animarum periculum involventia, neque Papa jurisdictionem imperatoriam, neque Imperator auctoritatem pontificiam impedire, minuere, aut perturbare vult, vel debet: simulque circa talia personarum, locorum, temporumque diversitas, et aliarum varietas circumstantiarum, nonnunquam aliud et aliud statui deprecant, can. *Sciendum*, cum duobus seqq., dist. 29, et alibi.

§ XIII.

DE CONFEDERATIONE JURIS CIVILIS CUM CANONICO.

224. *Leges et canones mixtim allegantur in utroque foro, quando sibi non contradicunt.* — Queritur I. Quid sentiendum sit de confederatione juris utriusque inter se? Resp. I. Quando leges non contradicunt canonibus, tunc mixtim et leges et canones allegantur in utroque foro. Ita Abbas, cap. I, num. 4, de *Novi operis nuntiatio*; Anchoranus c. *Canonum statuta*, n. 44, de *Constit.* id probans ex c. *Pastoralis de fide instrument.* et alii. Idque patet ex recepta praxi tribunalium, atque jurisconsultorum, passim in utroque foro tales probationes admittentium, vel adducientium. Idem desumitur ex can. *Si in adjutorium*, dist. 10, ibi: «Si in adjutorium vestrum etiam terreni imperii leges assumendas putatis, non reprehendimus. Fecit hoc Paulus, cum adversus injuriosos civem Romanum se esse protestatus est.» Concor-dat textus in can. *De capitulis*, et can. *Certum est*, cit. dist. 10, juncto cap. I, de *Novi operis nuntiatio*, una cum aliis num. seqq. allegandis. Unde canonista merito allegat leges, etiam ubi concurrunt canones: nam fortior videtur ille casus, illaque decisio, ubi duplex concurrat dispositio: et quæ non prosunt singula, multa juvant. Glossa in c. *Cum causam*. § *Adminicula de Probation.*

225. *Casus in jure civili dubius, sed in canonico clare decisus, procedit quoque in foro civili, et econtra.* — Resp. II. Insuper, quoties casus aliquis dubius est in jure civili, jure autem canonico clare decisus, hæc pontificii juris decisio habet locum etiam in foro civili: et econtra, si quid jure canonico sit dubium,

obscurum, vel indecisum (prout præsertim circa contractus, feuda, et hujusmodi, per-paucæ in sacris canonibus decisiones habentur), jure vero civili istud clare decisum reperitur, simulque materia illa sit profana, non spiritualis, in foro etiam ecclesiastico ejusmodi decisio juris civilis locum obtinebit. Ita communis; idque clare habetur cap. I. de *Novi operis nuntiatio*. ubi pontifex vulgatum illud pronuntiat: «Sicut leges non dedignantur sacros canones imitari, ita et sacrorum statuta canonum principum constitutionibus adjuvantur.» Ubi glossa § *Adjuvantur*, notabiliter infert. «Et ita in causa ecclesiastica leges possumus allegare, ut, etiamsi canones deficiant, possit judicari secundum leges.»

226. *Notabiles auctoritates doctorum quoad hoc. Legista sine canonibus parum valet, canonista sine legibus nihil.* Ibid. — Hinc Abbas Panormitanus, loc. cit., n. 3, exinde merito concludit, «quod causa Ecclesiæ debet decidi per jus civile in defectum canonum: omnes enim leges principum non contradicentes canonibus sunt approbatæ per Ecclesiam, ut patet hic.» Ita ille: cujus tamen verba de legibus civilibus, maxime Cæsareis, non vero de municipalibus, quæ contra jus commune ab inferioribus magistratibus nonnunquam eduntur, intelligenda sunt: prout ipsemet Abbas loc. cit. satis indicat, et docet Pirhing., tit. de *Constitut.*, num. 81. Insuper Fagnanus in c. *Cum esses*, n. 18, de *Testament.* sic inquit: «Ubi quæ non reperitur aliqua dispositio juris civilis expresse immutata a jure canonico, non debemus inducere discrepantiam inter jus canonicum, et jus civile: imo lex civilis servari debet etiam in foro Ecclesiæ, ut cap. I, et ibi Abbas, n. 3, Jo. Andreas; n. 5, et alii communiter. de *Novi operis nuntiatio*.» Quæ cum ita sint, haud mirandum, quod Ludov. Romanus *Singulari*, 634, et post ipsum Zæsius in Proemio *Juris canonici*, n. 5, ac Fagnanus in c. *Super specula*, n. 30, Ne clerici vel monachi, etc. dicere non dubitarint: «Legista sine canonibus parum valet, canonista sine legibus nihil.»

227. *Textus varii, ubi leges non dedignantur sacros canones imitari, et hi principum constitutionibus adjuvantur.* — Confirmantur hæc dicta. Et quidem quod leges non dedignantur sacros canones imitari, patet ulterius ex Auth. *Ut clerici apud proprios episcopos*, etc. (Cujus verba superius num. 220, relata

sunt), collat. 6. Item ex Auth. *De Ecclesiasticis titulis*, § 1 et 2, collat. 9, atque etiam ex can. *Euphemium*, § *Hinc colligitur*. 2, q. 3. Quod vero sacrorum statuta canonum principum constitutionibus adjuvantur, præter jam hæc dicta, probatur ex c. *Cum dilecta*, § *Nos igitur de Confirmat. util.*, etc. ubi pontifex in sua decisione attendit id, quod jure civili statutum fuerat. Hoc idem fit cap. I. et II. de *Novi operis nuntiatio*, ubi similiter Papa subortas circa novi operis nuntiationem controversias, juxta leges decidit. Et cap. I de *Emption. et vendit.* pariter tale quid habetur. Sicut et in c. *Nos quidem*, § fin. de *Testament.* piæ voluntates defunctorum, «secundum piissimas leges,» episcopali studio jubentur adimpleri. Item in c. *Inter alia*, 6. de *Immunitate ecclesiast.* Reus criminis, et ad Ecclesiam confugiens, «juxta sacrorum statuta canonum et traditiones legum civilium,» inde extrahi prohibetur. Qua ratione sæpius alibi in dubiis decidendis Papa leges allegasse reperitur. Quinimo, quod plus est, can. *In primis*. 2. q. 1. circa fin. plures leges civiles non solum allegantur, sed expresse recipiuntur, atque per Gregorium papam canonizantur: quanquam hujusmodi leges non tam leges civiles, quam mutato nomine canones rectius appellentur, ut dictum superius n. 78. Verum occasione præmissorum.

228. *Religiosis est prohibitum, ne e claustris exeant ad audiendum jus civile, vel medicinam, et sub quibus pœnis?* — Queritur II. Cum tanta inter jus civile et canonicum intercedat confederatio, adeo quod juxta illud jam allegatum, canonista sine legibus nihil valeat: cur religiosis in c. *Non magnopere*, etc. *Super specula*. Ne clerici vel monachi, etc., tam severe prohibeatur, ne e claustris suis exeant ad audiendas leges, et physicam (hoc est, jus civile, et medicinam) et quidem sub pœna excommunicationis latæ sententiæ, nisi intra spatium duorum mensium ad claustrum redierint?

229. *Non tamen, quin intra claustra ex bono fine juris civilis scientiam addiscant.* — Resp. I. Per citata jura nequiquam est prohibitum religiosis, quinimo eisdem laudabile existit, quod intra claustrum leges civiles inspiciant, earumque intellectum addiscere satagant, non quidem principaliter propter ipsam scientiam civilem, sed ad finem intelligendi melius sacros canones, et quatenus id necessarium est ad alios rite instruendos, atque occurrentes casus conscientiæ dissolvendos,